

ubi rem rescivi, coepi non humanitus
 100 neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
 tractare, sed vī ēt viā pervolgata patrum.
 cotidie accusabam : “hem tibine haec diutius
 licere speras facere me vivo patre,
 amicam ut habeas prope iam in uxoris loco ?
 105 erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
 ego te meum esse dici tantisper volo
 dum quod te dignumst facies ; sed si id non facis,
 ego quod me in te sit facere dignum invenero.
 nulla adeo ex re istuc fit nisi ex nimio otio.
 110 ego īstuc aetati' non amori operam dabam,
 sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi
 simul rem et gloriam armis belli repperi.”
 60 postremo adeo res rediit : adulescentulus
 saepe eadem et graviter audiendo victus est ;
 115 putavit mē et aetate et benevolentia
 plus scire et providere quam se ipsum sibi :
 in Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
 65 CH. quid ais? ME. clam me profectu' mensis tris abest.
 CH. ambo accusandi ; etsi illud inceptum tamen
 120 animist pudenti' signum et non instrenui.
 ME. ubi comperi ex īs qui ēi fuere consciī,
 domum revortor maestus atque animo fere
 perturbato atque incerto prae aegritudine.
 adsido : adcurrunt servi, soccos detrahunt ;
 125 video alios festinare, lectos sternere,
 cenam adparare : pro se quisque sedulo
 faciebant quo illam mihi lenirent miseriam.
 ubi video, haec coepi cogitare “hem tot mea